Vivat athlética!

Scholae in orbe terrárum

Athleticárum loca!
Scribe athléticas recto loca.

Salvéte!
Sumus Cárolus et Nina. Russi sumus. Vívimus Petrópoli. Corpus exercémus quia certámina athlética scholae nostrae participáre vólumus. Exercitátio, cum condiscípulis nostris, nos fatigat sed etiam multum delectat! In schola gymnásticam exercémus, atque etiam multas alias athléticas...

A. palaestra

B. area...

C. sémita...

19
tenisia mensális

D. natábulum

E. in móntibus

F. ad litus maris

G. hippodromus

Solutiónes sunt página 14.

Athléticae... mirábiles

Alii athléticam gregálem exércent, ut follem voláticum, pedifóllium, basípilam, follem oválem..., alii sub tecto soli exercéntur, alii sub divo currunt aut multa chiliómetra bírota emetiúntur, alii etiam athléticas exércent valde, valde mirábiles...

Barefoot

Ambulásne libénter pédibus nudis? Si ita est, 'barefoot' tibi cónvenit! Haec est disciplina: ámbulas aut curris pédibus nudis, in aréna, lapídibus, herba vel aqua, ad litus maris, in viridário, in móntibus, ruri... Vere iucúndum est pédibus nudis ambuláre : hoc prodest pédibus, tu autem ipsam natúram calcas et te sentis liberum! Opórtet tamen gradátim procédere, ut fiat consuetúdo.

Zoo fitness

Haec disciplina motus animálium imitátur. Salis ut rana, movéris ut ursus, quáttuor pédibus ámbulas ut canis... Permúltae sunt huiúsmodi exercitatiónes, ita ut haec disciplina sit iucundíssima!



Spikeball

Haec est mixtúra follis volátici, teniludi, tenisiae mensális. Sic est 'spikeball'! Si hoc ludo lúdere vis, opórtet habére duos lusórum greges, parvum resultórium et follem. Lusóres follem pulsant sicut in folle volático, sed in resultórium. Non licet follem in solum cádere. Hic ludus ubique terrárum nunc veheménter cólitur!



A
perspicillum

B
reticulum

A - Consócia athléticas et instruménta

[ ] **1** ars battuéndi
[ ] **2** ambulátio athlética
[ ] **3** natátio
[ ] **4** patinátio
[ ] **5** gymnástica
[ ] **6** birotátio
[ ] **7** pedifóllium
[ ] **8** teniludium

D
tapéte

E
follis

C
flagéllum

H
pileus



G
rudis

J
galea protectória

I
pátini

F
calcei montáni



B - Tu, nunc, lude!

Excógita novam athléticam. Describe eam amicis tuis: eius nomen, eius exercitatiónes, eius régulas, eius instruménta.

Solutiónes sunt página 14.